

alcuni consegj, fo expedito Zuan Jacomo Rota, era scrivan alli Auditori nuovi, intromesso per sier Francesco Donado el cavalier e sier Piero Contarini *olim* avogadori, per certa scritura falsificada in una lite contra domino Anzolo di Caldonio dotor ditadin vicentino. Hor disputato assà, fo preso di proeeder di largo, e poi privà di l' oficio e in perpetuo di oficio e beneficio etc. e sia annullà la scritura falsa fece, e publicà sulle scale di Rialto; con altre clausole *ut in parte.*

285<sup>1</sup>) *Exemplum litterarum Magni Magistri Rhodi ad Leonem Decimum Pontificem Maximum.*

Beatissime pater, clementissime Pontifex et Domine noster, post pedum oscula beatorum, mei humillima commendatione præmissa. Quia me non latet Sanctitatem Vestram cupere, sapientissimam et super gregem suum assidue vigilantem, scire, quæ ubique terrarum et maxime inter infideles geruntur, ut facilius Christianæ Reipublicæ curæ Sibi divinitus comissæ salaluberrime prospicere possit et nephando hostium conatus irritos facere, meas esse partes duxi, quotiescumque res scitu digna ad manus est et datur passagii copia, per meas litteras id Vestrae Sanctitati significare. Selinus turcarum tyrannus nuper ad nos litteras græco sermone exaratas dedit, quarum exemplum Sanctitati Vestrae destinamus, quæ complura continent mendacia, cum se Persiae dominum appelle, quam vix attigit, et Thaurim urbem totius orientis potentissimam, quam non vidit, dicat se assecutum fuisse. Neque Sophis, in pugna in dictis litteris narrata præsens fuit, sed unus ex ejus satrapis, qui perit: et Selini nepos, belli fomes, adhuc superstis est. Neque etiam sophiani castris exuti sunt, ut dictæ recentent litteræ; sed post pugnam (quæ fuit atrox et diu animorum obstinatione continuata) uterque exercitus suis limitibus contentus fuit, et sensim coepit retrocedere. Ajunt Turcum secum duxisse ducenta et quinquaginta hominum milia, armis et equis optime instructa, cum quibus Sophiani diu manus conserere detractarunt, sive numero essent inferiores et majora supplementa expectarent, sive ut hostem deludendo fatigarent et discriminibus expONENT: nam quod Turcus iter facturus erat, omnia cibaria et jumentorum pabulum aut asportarunt aut igne consumpserunt. Cum autem Turcus multum itineris in hostili terra confecisset, et sophianis non lateret

hostem dissenteria, peste et fame laborare et in . . . . . inter se cohortati, divisis biffariam copiis, quæ octuaginta hominum milia non trascendebant, pugnam inierunt sæculis inauditam. In qua, cum Greciæ turcorum copia acriter premerentur et supradomum laborarent et loco cedere cœpissent, voluit Turcus prætorianas Ianicerorum cohortes sui corporis custodiam suppetias mittere. 285\* Quod illi, cum manifestum periculum prospicerent, reiecta militari obedientia, adimplere recusarunt, neque præcibus et Selini lachrymis aut imperatoria majestate a proposito removeri potuerunt, et ad fugam potius quam ad bellum erant propensi. Quare, Greciæ milites ad internitionem cum eorum belarbeis et duobus bassiis cœsi sunt, et sophianis hæc Victoria cessit non incurta. Alius autem exercitus cornvasianorum Turci militum lacer remansit, ut suæ saluti intentus alteri in ultimo discrimine constituto subvenire nequiverit. Dirempta autem pugna utrinque funestissima, et utroque ad propria remanente, paucis interiectis diebus, ecce ab hiberis XXV equitum milia sophianis auxilio affutura. Redeuntibus fuerunt obviam, quæ cum bello attritos (vix enim dimidia pars superstes erat et multis vulneribus debilitata) ad instaurandum certamen inducere nequissent, ne in cassum tantum diem assumptis sviderentur, turcorum exercitum consequi et ultimum agmen capere decreverunt. Quod cum transfugis Turcus rescivisset, quod restabat itineris majori diligentia confici curavit, qua re quæ trium dierum spacio eundo dimensus fuerat, redeundo unius diei cursu superabat. Neque a tam festinato itinere cessavit, donec quemdam fluvium vado alioquin minime tentandum attigit, cuius impetus ut leniret, equites præmisit, ut in medio fluminis tanquam indagine constituti, adversis pectoribus aquarum vim frangerent, et peditum ac impedimentorum curruumque machinarum periculum minuerent: et nibilominus in transitu præfati fluminis, supra quatuor hominum milia, et tringita machinarum currus amisit. Et Amasiæ Capadociæ urbem, olim Accumati fratris sedem, pervenit, ubi, fertur, hiemabit, contemplaturus quid Sophis et nepos consilii capiant, atque novos, si opus fuerit, reparaturus. Hiberi autem in itinere cœsi qui remanserant, ut fluminis ripas attigerunt, extrahendis machinis operam adhibuerunt et finem prosequendi fecerunt. Potest Sanetitas Vesta considerare ad quid redactus fuerit tam numerosus et potens turcarum exercitus, cum maluerit in flumine periclitari, quam manum cum præfatis hiberis conserere.

(1) La carta 284\* è bianca.